

tribuere gratiam, et merita alicui. Quod vero etiam habeat voluntatem efficacem dandi illi gloriam, non est necesse, quia talis finis licet sit perfectio hominis, non tamen est perfectio volitionis divinæ, et ita non pendet per se volitio mediorum conducentium ad illum finem ex volitione efficaci talis finis. Addit disp. LXXIV, cap. II, non sufficere efficaciam decreti intendentis gloriam ante præscientiam meritorum ut concurrat ad executionem gloriæ, sed requiri insuper aliud decretum quod det efficaciam pro executione, et hoc debet esse ortum ex præscientia meritorum, quia non potest dari gloria per merita nisi supponatur eorum præscientia, quia merita non movent nisi in genere causæ moralis, et consequenter media cognitione sui.

P. Suarez lib. I de prædestinatione, c. VIII, n. XLVIII, cum late probasset sententiam S. Thomæ de electione efficaci ad gloriam per absolutam intentionem antecedenter ad merita, tandem in solutione rationis dubitandi a principio, eo devenit ut diceret intentionem illam et decretum dandi gloriam non esse intrinsece, et quasi physice necessarium ut homines possint salutem æternam consequi, quia alias non sic electi absolute salvari non possent, quia talis electio non est in eorum potestate, et arbitrio. Similiter non est necessaria tamquam voluntas præbens ipsa auxilia et concursus necessarios ad bene operandum, quia non versatur illa electio circa hæc objecta; nec est necessaria tamquam voluntas præsupposita ad danda ista media, quia sufficit simplex, seu conditionalis affectus antecedens, et illa objecta habent in se unde amari possint. Quare solum tale decretum, seu intentionem dicit esse convenientem, seu necessariam ex parte Dei pro-

videntis et volentis ad præparandum, et disponendum omnia quæ pertinent ad cœleste regnum, sicut non est physice necessarium ad ambulandum, ex hac, vel illa intentione moveri, est tamen conveniens ex parte hominis quod id ex honesto fine fiat efficaciter volito. Ita ex hac doctrina Suarez videtur suam derivasse solutionem Arrubal.

XV. Quarto, p. Lessius ubi supra disputatione de prædestinatione respondet Deum ex intentione gloriæ non applicare media efficaciam ex vi prædictæ intentionis, sed quod efficaciam materialiter se habet respectu talis volitionis antecedentis: hoc enim satis est ut media sint volita propter finem, et ex intentione finis. Addit secundo, quod finis, et præmium non est necesse quod sit volitus efficaciter ante media per quæ consequitur, id est, ante merita, quæ est solutio Molinæ, et Vasquez. Et tertio dicit, quod ante merita prævisa est volita absolute beatitudo in communi, in particulari autem, ut applicata huic singulari, v. g. Petro, non est volita ante prævisa merita nisi conditionaliter.

Posset denique dici, quod efficax intentio gloriæ, et merita præcedunt se ad invicem in diverso genere causæ: nam electio ad gloriam præcedit electionem mediorum in genere causæ finalis, sed media ipsa, seu merita præcedunt in genere causæ dispositivæ et materialis efficaciam electionem ad gloriam, quatenus reddunt personam habilem, et dispositam, ut ei detur gloria, sicut reprobatio, ut punitio, supponit peccatum quod reddit hominem poena dignum, ut autem exclusio a regno præcedit permissionem peccati in genere causæ formalis. Quæ doctrina tradi videtur a D. Thoma qu. VI de verit. art. II ad II, dum inquit, quod: « Prædesti-

natio respicit aliquo modo id quod est ex parte nostra, non sicut inclinans divinam voluntatem ad volendum, sed sicut id ad cuius productionem divina voluntas gratiam ordinat, vel etiam sicut id quod ad gratiam quodammodo disponit, et gloriam meretur. » Potest ergo in genere causæ dispositivæ meritum ex parte nostra præcedere prædestinationem ad gloriam. Quod etiam expressit in hac quæstione art. V, in corpore, dum inquit: « Nihil prohibere, quod aliquis effectus sit ratio, et causa alterius, posterior quidem prioris secundum rationem causæ finalis, prior vero posterioris secundum rationem causa meritoria, quæ reducitur ad dispositionem materiæ, sicut si dicamus, quod Deus præordinavit se daturum alicui gloriam ex meritis. » Quid clarius? Præcedunt ergo merita præordinationem ad gloriam secundum genus causæ dispositivæ, et materialis in sententia S. Thomæ.

XVI. Contra solutiones istas, stat solida ratio facta a nobis, quæ est fundamentum ipsum D. Thomæ in hac quæstione, art. IV et qu. VI de verit. art. I. Et quidem primam solutionem Molinæ rejicit bene p. Suarez lib. I, de prædestinatione, c. VIII, tractando primam opinionem, et c. XIII, num. VII, quia vel debet negare Molinæ in universum omnem distinctionem, et ordinem prioris et posterioris in decretis divinis circa quamcumque materiam, vel nullum habet fundamentum ut negetur in isto negotio prædestinationis. Negare in universum istam distinctionem est contra communem sensum theologorum, ut tractavimus supra disp. V, art. I, eo quod ista signa, et prioritates non tenent se ex parte ipsius actus divini, sed ex parte objectorum, inter quos dari ordinem, et prius ac posterius negari non potest, nisi qui negaverit inter objecta a Deo vo-

lita unum esse causam et aliud effectum, unum esse finem aliud medium, et ex uno ad aliud derivari causalitatem, et ordinem, ratione cuius dicitur Judith. IX: *Tu Domine fecisti priora, et illa post illa cogitasti, et hoc factum est quod ipse voluisti.* Ergo fundamentum est ad distinguendum prius et posterius in cogitatione, seu decreto Dei, non ex parte divini actus, sed ex parte rerum ordinarum a Deo. Ratione cuius etiam communiter docent theologi Christum Dominum prius esse prædestinatum, quam reliquos, quia reliqui electi sunt in ipso, ut dicitur ad Ephes. I, et de ipso in capite libri scriptum est, quod de Christo dictum esse interpretatur Apostolus Paulus ad Heb. X; ergo negari non possunt ista instantia seu prioritates in decretis divinis ex parte objectorum, quæ a decretis connotantur. Quod si semel admittuntur, non est cur negentur in electione ad gloriam, et præordinatione mediorum, non respectu finis, tum inter se, quia in istis invenitur ordo, et causalitas, et prius et posterius ex parte objectorum, cum unum se habeat ut finis, alia ut media, et unum medium sit propinquius alteri, et agat in virtute, et coordinatione alterius. Et licet unum istorum sit connexum cum alio, nec possit unum in re poni sine alio, tamen unum non est formaliter aliud virtualiter, et causaliter includit aliud, seu derivat aliud ex se, unde potest voluntas efficaciter attingere unum efficaciam intentionis formaliter, et efficaciam executionis virtualiter; quod sufficit ut in alio posteriori intelligatur attingi formaliter.

XVII. Contra secundam solutionem Molinæ quæ est etiam solutio Vasquez instatur manifeste, quia quando positio mediorum, et assectio finis non est in potestate ali-

cujus pro ea parte, qua non est in sua potestate, non est efficax perfecte, et adæquate, sed conditionate, et dependenter; et sic non mirum quod ex illo capite non oriatur illa mediorem dispositio ex efficaci voluntate finis simpliciter, et perfecte licet absolute efficax esse possit, quatenus etiam id quod est in potestate alterius assequi intendit, vel precibus, vel suasionibus, aut aliis remediis quibus potest. Et sic potest efficaciter intendere, quatenus fertur in rem ut assequendam, et ad ejus assecutionem media disponit. Cæterum si id quod per alterius voluntatem exequendum est, sit dependens a voluntate, quæ totaliter, et omnibus modis est in manu mea eam immutare, et inclinare, et potestatem alterius possum movere non minus quam propriam, in tali casu perinde erit quod res assequenda dependeat a voluntate alterius, vel solum a mea, quia æque bene est in potestate mea voluntas, et potestas alterius, quam propria. Sic autem est quod voluntas creata, etiam ut libera, et omnis potestas creata non minus est in manu Dei, quam propria voluntas, quia ut dicitur Prov. XXI : *Cor regis in manu Dei, quocumque voluerit vertet illud*, et idem est de voluntatibus omnium hominum : « Quia magis habet Deus in potestate sua voluntates hominum quam ipsi suas, » ut dicit Augustinus lib. de correptione et gratia, c. XIV. Ergo otiose affert Vasquez, et Molina doctrinam illam de eo qui intendit finem ut assequendum per alium, cum respectu Dei non minus sit in manu ejus quod exequendum est per meam voluntatem, quam per suam : « Cum possit de voluntatibus hominum quod voluerit, quando voluerit facere, habens humanorum cordium inclinandorum quo voluerit omnipotentissimam potestatem, » ut Augustinus dicit. Et

sic potius retorquetur argumentum, quia si in his quæ a propria voluntate dependent, et in manu nostra sunt, prius est finis efficaciter intentus, quam prævisa sint media : ergo cum voluntates hominum sint in manu Dei, multo magis quam in propria, potest Deus etiam respectu illorum finem intendere efficaciter ante prævisa media. Unde ad exempla Molinæ dicitur, quod ille qui vult alteri dare præmium, et qui vult mercenario dare denarium ob diurnum laborem, si in manu ejus sit dare illi victoriam, et vires, et instrumenta, et isti facultatem, et voluntatem laborandi diurno labore, bene potest intendere illud præmium, et hanc mercedem efficaciter ut finem, et deinde in ordine ad illum consequendum merita et laborem tribuere quia totum hoc debet esse a Deo. Si ergo in his quæ Deus se solo facit, potest primo intendere finem, et deinde media, et utrumque efficaciter, quia totum ab eo, similiter quia in gloria, et in meritis, in mercede, et labore diurno totum a Deo est, et non minus in manu ejus movendo, et inclinando, et trahendo voluntatem creatam, quam si se solo faceret : ergo potest eodem modo utrumque efficaciter intendere, primo gloriam ut finem deinde merita, quia illa vult ut danda a se, et non solum a voluntate alterius exequenda, sed etiam a se derivanda.

XVIII. Ad exempla autem p. Vasquez eodem modo respondetur. Nam de eo qui vult alteri præmium, etiam si desideret ipsum evadere victorem, jam diximus quod si in manu, et potestate ejus qui proponit præmium est dare alteri vires, industriam, fortunam, cæteraque omnia requisita, ut mereri possit præmium, ita quod non solum præmium, sed et meritum, et victoriam dare possit, talis bene potest ante

merita prævisa intendere ei dare præmium virtualiter volendo dare illi meritum ex vi talis intentionis, eo quod merita illa non debet ipse præmiator supponere, sed largiri, unde potest absolute intendere dare præmium ex motivo suæ largitatis, qua istum eligit, ad tale præmium consequendum, obligando se ex vi talis intentionis, et voluntatis ad dandum ei ipsa merita, et quidquid ad merendum requiritur. Quod non currit in hominibus, qui possunt proponere præmia danda certantibus, sed non possunt dare ipsa merita, et ideo supponere ea debent, non causare; et sic non possunt habere mentionem efficacem dandi præmium nisi suppositis meritis, quia ab eis merita causanda non sunt. Similiter qui intendit filium suum doctorem evadere, et ideo ministrat subsidia ad studium, bene posset habere efficacem propositum et intentionem ut doctor evaderet, si in ejus potestate esset ministrare illi ingenium, applicationem, intelligentiam, et voluntatem addiscendi, quia vero ista non sunt in manu ejus, non intendit nisi ea quæ potest, ea autem quæ non potest, efficaciter non intendit per se, sed per alios procurat : si vero per se omnia illa posset, licet exequenda per alios, quia in manu ejus est quidquid alii faciunt, utique etiam illa intendere posset efficaciter, et ex efficaci ejus intentione derivaretur, quia ab eo causandum esset, et non supponendum. Si ergo isti auctores fatentur, quod quando finis assecutio non pendet ab alio, potest ab eo intendi efficaciter ante prævisa media, quia in manu ejus est ponere illa, et assequi finem : et constat quod respectu Dei, qui omnia potest, idem est per se ipsum ponere media, vel per alios, nec minus est in manu sua quod per alios ministratur, quam quod a se immediate ex-

hibetur, etiam potest intendere efficaciter finem assequendum, et deinde de mediis providere. Nec per hoc obligatur Deus libertatem violare cogendo ad merita eum, qui sic electus est ad præmium, quia in omni opinione sive Deus antecedenter prædeterminet voluntatem, illæsa libertate, sive non; constat tamen non deesse illi modum in infinitis rerum combinationibus voluntatem sic præparare supposita electione quod infallibiliter habeat merita, et non lædatur libertas, alias merita non essent. Quod vero Vasquez dicit ex vi desiderii primi inefficacis, quo Deus vult omnibus gloriam sive reprobis, sive prædestinatis, æqualem omnibus velle gloriam, non discernendo quem gradum unicuique daturus est ante prævisa merita, ex quibus mensuratur qualis gloria unicuique danda est, hoc ex eodem principio refellitur, quia si in manu Dei est ponere et causare ipsa merita, juxta quæ mensuratur in executione exhibitio gloriæ, bene potest intendere efficaciter determinatam gloriam isti, et exinde moveri ad causanda merita in tali gradu, et mensura, quod per illa in executione mensuretur, quia utrumque debet dari a Deo, tam præmium ipsum, quam meritum per quod mensurandum est præmium in executione.

XIX. Contra responsionem Arrubalis instatur, quia licet verum sit Deum velle omnia ex amore sui, tamen hic finis est valde generalis : omnia enim propter se ipsum operatus est Dominus. In negotio autem prædestinationis specialem finem intendit; ideo enim prædestinatio specialis providentia est, quia respicit specialem finem, scilicet gloriam ut assequendam, quæ licet non sit perfectio divinæ volitionis in se, est tamen perfectio causata a divina volitione, et perfecta ab ipsa,